



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &
Festos, ab ipso Auctore confectus

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1651

7. Quantus, in virg[a]e sortibus, Dei simius sit cacodæmon?

urn:nbn:de:hbz:466:1-45653

eundo autem iactu superior pars adhuc vestita, prosperum successum augurabantur: si primū prima pars vestita, infelicem: si utroque iactu vestitum, vel nudatum latus superiūs fuisset, mixtum euentum sibi pollicebantur. Ut ut sit, reperit Acheronticus Alastor, in omni superstitionis modo, imitatores. De antiquis Germanis, per amputatos, è fructifera arbore, furculos, supra candidam vestem, spargentibus, constat ex Tacito: de Persis & Scythis, per myricinas salignasque virgas, vaticinantibus, docet Cælius Rhodiginus & alij. Eundem morem Turcas Scytharum progeniem retinuisse Collenucij historiæ testantur. Sed & nostra tempora retinent antiqua vitia. Neq; enim Sueci tantū, velut diuina quadam virgula, aurum argentūque, vbi lateat, norunt hariolari; sed alij quoque conceptis verbis efficiunt, vt virgula recta, ad nomen rei, quem indagant, sponte sua, iunctis extremitatibus, in circulum coëat, & à cornibus velut lunetur.

Nimirum insignis Dei simia est diabolus. Quem non potest imitari, æmulatur. Scit olim Aaroni, virgula florente, sacerdotij prærogatiuam obtigisse, dicente Domino: *Loquere ad filios Israël, & accipe ab eis virgas singulas, per cognationes suas, à cunctis principibus tribuum, virgas duodecim, & vniuscuiusq; nomen superscribes virgæ suæ. nomen autem Aaron erit in tribu Leui, & vna virga cunctas seorsim familias continebit: ponésq; eas in tabernaculo fœderis, coram testimonio, vbi loquar ad te. quem ex his elegero, germinabit virga eius.* &c. Gessit & Moyses res prodigiosas, per virgam. Sed diuina vis non est perinde omni virgæ alligata. Itaq; sicut Pharaonis malefici fecerūt etiā ipsi per incantationes *Egyptiacas & arcana quadã similiter: proieceruntq; singuli virgas suas, quæ versa sunt in dracones:* ita hodie dum cacodæmon homines dementat, vt dum sunt Orcini, sibi diuini esse videantur. Illi scire debent, antiquam hanc esse antiqui serpentis artem, vt se in Angelum lucis transfiguret, fallacissimæque promissione dicat: *Eritis, sicut dii, scientes bonum & malum.* Accedit, hoc tempore, *diuinatoriam sortem nec iussam à Deo, nec, sine peculiari instinctu Dei permissam; sicut adhuc permissa fuit, quando B. Dei Mater Iosepho sponsa data est, itidem virga eius germinante, vt quidam piè credunt.*

Diuinatorie sorti olim valde dediti fuerunt, Augustus, Tiberius, itémque rex Pergami Attalus. Vtinam & nunc non etiam multi magnates se sinerent in hoc barathrum præcipitari, vt con-

Tacit. de morib. German. Cæl. Rhod. lib. 7. antiq. lect. c. 29. Herodot. l. 1. Strabo. l. 15. Collenuc. l. 1. Rer. Neapolitan.

VII.

Num. 17. 2.

Exod. 7. 11.

Gen. 3. 5.

VIII.

Sueton. in Augusto & Tiberio.